BR
63
F4
v.30

Digitized by the Internet Archive
in 2025 with funding from
Graduate Theological Union

https://archive.org/details/doctorisseraphic30unse

# Florilegium Patristicum
## tam veteris quam medii aevi auctores complectens

Ediderunt

**Bernhardus Geyer**
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Bonnensi Professor ordinarius

et

**Johannes Zellinger**
S. Theologiae Doctor,
in Universitate Monacensi Professor ordinarius

Fasciculus XXX

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXII

Bonaventura, Saint, Cardinal, 1221-1274.

Doctoris Seraphici

# S. Bonaventurae

## Prolegomena ad sacram Theologiam

ex operibus eius collecta

edidit

Thaddaeus Soiron O.F.M.
S. Theologiae Doctor

Scholae Franciscanae tomus II

ALMA COLLEGE LIBRARY Alma, California
208
F664

Bonnae Sumptibus Petri Hanstein
MCMXXXII

41608

BR
63
F4
v.30

# Index rerum

Pag.
I. Materia seu subiectum theologiae . . . . . . . . . . . . 1
II. Ortus theologiae . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 6
III. Modus procedendi in theologia . . . . . . . . . . . . . 7
IV. Finis theologiae . . . . . . . . . . . . . . . . . . . . 11
V. Theologia una scientia . . . . . . . . . . . . . . . . . 24
VI. De relatione philosophiae ad theologiam . . . . . . . . 26
VII. Dispositio ad studium theologiae . . . . . . . . . . . . 31

Imprimatur. Dusseldorpii, 6. I. 1932. Fr. Suitbertus Boemer min. prov.
Imprimatur. Coloniae, die 12. m. Januarii 1932. Dr. David Vicarius Archiepi Glis.

# I. MATERIA SEU SUBIECTUM THEOLOGIAE.

**1. Textus:** Prooemii quaestio 1 (Sancti Bonaventurae opera omnia, Quaracchi. tom. I. p. 6–8): Quae sit materia quodve subiectum huius libri vel theologiae.

Et quod *Deus* sit subiectum, videtur.

1. Illud enim subiectum est in scientia, de quo et de cuius proprietatibus est scientia tota; sed de Deo et eius operibus, utpote creatione et reparatione, est totus iste liber: ergo etc.

2. Item, videtur quod subiectum istius libri sint *res et signa*. Illud enim est subiectum in scientia, secundum cuius divisionem dividitur illa scientia, quia „scientiae secantur in res[1]", hoc est, dividuntur secundum divisionem subiectorum; sed hoc est res et signum, sicut manifestum est: ergo etc.

3. Item, videtur quod *credibile* sit subiectum huius libri. Illud enim est subiectum in libro, circa quod versatur auctoris intentio et tractatus; sed credibile est huiusmodi. Unde *Magister* dicit in Prologo, quod propositum suum est, „fidem nostram clypeis Davidicae turris munire", hoc est, ad probandum fidem rationes adducere, non, inquam, *fidem habitum*, sed *creditum*[2]: ergo etc.

Sed contra:

1. Subiectum in scientia debet complecti omne, quod determinatur in illa; sed in hoc libro non tantum determinatur de Deo, sed etiam de creaturis: ergo Deus non est subiectum totius istius libri generaliter, sed solum primi libri.

2. Item, aliter ostenditur illud idem sic. Licet tres causae coincidant in unam, tamen materia non coincidit simul cum fine[3]; quia materia dicit quid incompletum, finis autem dicit totius operis complementum; sed Deus est finis totius istius operis, quia finis totius theologiae: ergo non est subiectum vel materia.

3. Item, quod *res et signa* non sint subiectum, videtur. Omnis enim scientia est de rebus vel de signis: ergo si res et signa sunt subiectum

---

[1] Τέμνεται οὖν ἡ ἐπιστήμη καὶ ἡ αἴσθησις εἰς τὰ πράγματα. *Aristot.* [Editio Bekkeri] Vol. I de anima III. cap. 8. p. 431 b 24.

[2] Non fidem infusam seu subjective, sed objective sumptam.

[3] Ἔρχεται δὲ τὰ τρία εἰς τὸ ἓν πολλάκις. *Aristot.* Vol. II. Phys. lib. II. cap. 7. p. 198 a 24 seq.

huius libri, liber iste est generalis ad omnes. Quodsi specialis scientia et doctrina traditur in hoc libro, patet quod res et signa non debent assignari in eo pro subiecto.

4. Item, constat quod alia est scientia de rebus et alia de signis, ut patet; differt enim sermocinalis scientia a naturali; ergo scientia tradita in hoc libro aut non est unius generis, aut non est simul de rebus et de signis; sed est unius generis: ergo etc.

5. Item, quod *credibile* non sit subiectum, videtur, quia scientia et virtus sunt diversi habitus; ergo habent diversa obiecta; ergo cum credibile, in quantum huiusmodi, sit obiectum virtutis, non erit obiectum scientiae in quantum huiusmodi: ergo etc.

6. Item, sicut consideratio huius libri versatur circa fidem, ita etiam circa spem et caritatem: ergo si sperandum vel diligendum sive diligibile non est subiectum huius libri, pari ratione nec credibile est subiectum in eo.

## Conclusio.

*Deus est subiectum theologiae radicale, Christus est subiectum integrale, res et signa sunt subiectum universale sive etiam credibile, prout transit in rationem intelligibilis.*

Respondeo: Dicendum, quod subiectum in aliqua scientia vel doctrina tripliciter potest accipi. Uno modo dicitur subiectum in scientia, ad quod omnia reducuntur sicut ad *principium radicale*; alio modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad *totum integrale*; tertio modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad *totum universale*.

Exemplum huius manifeste patet in *grammatica*. Nam subiectum primo modo, ad quod omnia reducuntur sicut ad principium elementare[1] vel radicale, est littera, quam ideo vocat *Priscianus elementum*, quia est minimum, in quo stat resolutio grammatici. Subiectum, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum integrale, est oratio congrua et perfecta. Subiectum vero, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum universale, est vox litterata, articulata[2] ordinabilis ad significandum aliquid in se vel in alio.

Per hunc modum est distinguere in *quadrivialibus*. Nam subiectum in geometria, ad quod omnia resolvuntur ut ad principium, est punctus. Subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad totum integrum, est corpus, quod continet in se omne genus dimensionis. Subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad totum universale, est quantitas continua, immobilis.

[1] Grammat. lat. ex. rec. H. Keilii, Vol. II, Prisciani Institut. Grammat. Vol. I. lib. I cap. 2, De littera p. 6 sqq.

[2] Explicationem horum verborum accipe a *Prisciano*, I. Grammat. c. 1: Articulata est, quae coarctata, hoc est, copulata cum aliquo sensu mentis eius, qui loquitur, profertur . . . Litterata est, quae scribi potest. *Loco cit.* cap. 1, p. 5.

Per hunc modum et in hoc libro est assignare subiectum secundum triplicem differentiam.

Nam subiectum, ad quod omnia reducuntur ut ad principium, est ipse Deus.

Subiectum quoque, ad quod omnia reducuntur, quae determinantur in hoc libro, ut ad totum integrum, est Christus, prout comprehendit naturam divinam et humanam sive creatum et increatum, de quibus sunt duo primi libri; et caput et membra, de quibus sunt duo sequentes. Et accipio large totum integrum, quod multa complectitur non solum per compositionem, sed per unionem et per ordinem.

Subiectum quoque, ad quod omnia reducuntur sicut ad totum universale, possumus nominare per circumlocutionem sive sub disiunctione; et sic est res vel signum; et vocatur hic signum sacramentum. Possumus et unico vocabulo nominare; et sic est credibile[1], prout tamen credibile transit in rationem intelligibilis et hoc per additionem rationis; et hoc modo, proprie loquendo, est subiectum in hoc libro.

Concedendae ergo sunt rationes probantes, et Deum esse subiectum, et res et signa, et credibile, diversimode, sicut dictum est.

1. Quod ergo obiicitur in contrarium, quod non tantum de Deo agitur in hoc libro; dicendum, quod, quamvis non agatur de Deo quantum ad substantiam tantum, agitur tamen de Deo quantum ad substantiam, vel quantum ad opera eius; et ideo non est subiectum ut totum, sed ut principium.

2. Quod obiicitur, quod materia non coincidit in unum cum fine; dicendum, quod materia tripliciter dicitur: scilicet materia ex qua, materia in qua et materia circa quam; et haec ultima materia magis dicitur obiectum quam materia. Quando ergo dicitur, quod materia non coincidit cum fine, verum est de materia ex qua, quae proprie est materia, sed non de materia circa quam, quae proprie est obiectum; nam idem potest esse obiectum habitus et finis; et tali modo accipitur materia in scientia pro obiecto virtutis cognoscentis.

3. 4. Quod obiicitur de rebus et signis, quod sunt subiecta omnium scientiarum; dicendum, quod res et signum possunt accipi in sua generalitate; et sic non pertinent ad scientiam specialem nec ad librum nec ad eandem scientiam. Possunt iterum accipi secundum quod induunt rationem credibilis, et sic, quemadmodum una est virtus, et unus est habitus de omnibus credibilibus[2], sive sint res sive sint signa, ut

---

[1] Vide etiam pag. 9. ad 4.

[2] Dicendum, quod fides, sive in eodem, sive in diversis, una est secundum speciem, pro eo quod non dividitur in species, quamvis in diversis diversificatur secundum numerum. — Et huius ratio est, quoniam unitas virtutis attenditur secundum unitatem actus principalis; unitas autem actus principalis attenditur secundum unitatem obiecti primi; et quoniam obiectum primum fidei

fides, sic una est scientia specialis de omnibus, in quantum induunt hanc rationem, sive sint res sive signa.

Aliter potest dici, quod dupliciter est loqui de rebus et signis, aut absolute, aut in relatione ad fruitionem sive ad illud, quo fruendum est. Primo quidem modo spectant ad speciales scientias et diversas; secundo modo ad unam scientiam sive doctrinam. Unde quemadmodum de omnibus entibus, in quantum reducuntur ad unum primum ens, est una scientia et unus liber, sic de omnibus rebus et signis, in quantum reducuntur ad unum, quod est alpha et omega, est una scientia.

5. 6. Quod obiicitur, quod credibile est obiectum virtutis etc; dicendum, quod alio modo est credibile obiectum virtutis, alio modo scientiae. Credibile enim, secundum quod habet in se rationem primae veritatis, cui fides assentit propter se et super omnia, pertinet ad habitum fidei; secundum quod super rationem veritatis addit rationem auctoritatis, pertinet ad doctrinam sacrae Scripturae, de qua dicit Augustinus super Genesim ad litteram[1], quod „maior est eius auctoritas quam humani ingenii perspicacitas"; sed secundum quod supra rationem veritatis et auctoritatis addit rationem probabilitatis, pertinet ad considerationem praesentis libri, in quo ponuntur rationes probantes fidem nostram. Et sic patet, quomodo differenter est fides de credibili, et libri de canone sacrae Scripturae, et praesens scriptura. Et ideo non valet illa obiectio, quoniam iste liber non est sic ad defensionem spei et caritatis, sicut fidei; et ideo non est simile.

**2. Textus:** Breviloquium, Prologus § 4 (Ibidem tom. V. p. 205–206): Subiecto . . . competit (triplex sensus in Scriptura praeter intelligentiam literalem), quia ipsa est doctrina, quae est de Deo, de Christo, de operibus reparationis et de credibili. Subiectum enim illius

---

unum est: hinc est, quod necesse est, virtutem fidei esse unam. – Hoc autem planius fit per exemplum in consimili. Sicut enim videmus in habitu videndi, quod virtus visiva habet obiectum per accidens, sicut dicimur videre equum et hominem; habet etiam obiectum per se, sicut dicimur videre album et nigrum; habet etiam obiectum non solum per se, sed etiam primo, sicut dicimur videre lucidum – et quamvis obiectum per accidens sive obiectum materiale ipsius visus diversificatur in specie, sicut equus differt specie ab homine, et etiam obiectum per se specie differat, sicut album specie differt a nigro; non tamen habitus videndi secundum speciem diversificatur, quia ratio obiecti primi, videlicet ipsa ratio luminositatis, una est in omni visibili-sic et in proposito intelligendum est, quod licet fides habeat multa obiecta per accidens sicut omnia quae consequuntur ad articulos, multa etiam obiecta per se, sicut ipsos articulos plures et distinctos; quia tamen una est ratio credendi in omnibus, videlicet summa Veritas, cui ipsa fides innititur propter se et super omnia: ideo ipsa fides est species una, quantacumque reperiatur in credibilibus differentia. III Sent. d. 23 a. 1 q. 3 conclusio (tom. III p. 479).

[1] Lib. II c. 5, PL. XXXIV p. 267: Maior est quippe Scripturae huius auctoritas quam omnis humani ingenii capacitas.

quoad *substantiam* Deus est; quoad *virtutem*, Christus; quoad *operationem*, reparationis opus; quoad *omnia* haec est ipsum *credibile*. Deus autem est trinus et unus: in essentia unus et in personis trinus. Ideo Scriptura, quae est de ipso, habet in unitate litterae triformitatem intelligentiae. – Christus etiam, cum sit unum Verbum, omnia per ipsum facta dicuntur, et in ipso relucent, ita quod eius sapientia et multiformis et una. – Opera reparationis, cum sint multa, omnia ad Christi oblationem principalem habent aspectum. – Credibile ut credibile diversimode relucet secundum diversum statum credentium. Ideo propter conformitatem ad omnia praemissa sacra Scriptura in una littera multiformem parit intelligentiam.

# II. ORTUS THEOLOGIAE.

**Textus:** Breviloquium, Prologus (Ibidem tom. V. p. 201):

Ortus namque non est per humanam investigationem, sed per divinam revelationem, quae fluit *a Patre luminum* (Iac. 1, 17), *ex quo omnis paternitas in caelo et in terra nominatur,* a quo per Filium eius, Iesum Christum, manat in nos Spiritus sanctus, et per Spiritum sanctum, dividentem et distribuentem dona *singulis, sicut vult* (1. Cor. 12, 11), datur fides, et *per fidem habitat Christus in cordibus nostris* (Eph. 3, 17). Haec est notitia Iesu Christi, ex qua originaliter manat firmitas et intelligentia totius sacrae Scripturae. Unde et impossibile est, quod aliquis in ipsam ingrediatur agnoscendam, nisi prius Christi fidem habeat sibi infusam, tamquam totius Scripturae lucernam et ianuam et etiam fundamentum. Est enim ipsa fides omnium supernaturalium illuminationum, quamdiu *peregrinamur a Domino* (2. Cor. 5, 6), et fundamentum stabiliens et lucerna dirigens et ianua introducens; secundum cuius etiam mensuram necesse est mensurari sapientiam nobis divinitus datam, ne quis sapiat *plus, quam oportet sapere, sed ad sobrietatem, et unicuique sicut Deus divisit mensuram fidei* (Rom. 12, 3). Mediante igitur hac fide, datur nobis notitia sacrae Scripturae, secundum influentiam Trinitatis beatae, iuxta quod expresse insinuat Apostolus in prima parte auctoritatis prius inductae[1].

[1] Vide etiam pag. 23. 26. 30.

# III. MODUS PROCEDENDI IN THEOLOGIA.

**1. Textus:** Prooemii quaestio 2 (Ibidem tom. I. p. 9–11):

Quae causa formalis quive modus procedendi sit in his libris Sententiarum.

Secundo quaeritur, de causa formali sive modo agendi. Et dictum est, quod est perscrutatorius et inquisitivus secretorum.

Sed contra:

1. Isaiae quadragesimo (v. 23): *Deus dat secretorum scrutatores quasi non sint.*

2. Item, Proverbiorum vigesimo quinto (v. 27): *Perscrutator maiestatis opprimetur a gloria.*

3. Item, Ecclesiastici tertio (v. 22): *Altiora te ne quaesieris, et fortiora te ne scrutatus fueris.* Ergo, si ea quae Magister perscrutatur, sunt secreta, sunt magna, sunt alta et fortia, male Magister procedit.

4. Item, ratione ostenditur sic: modus procedendi in parte scientiae debet esse uniformis modo totalis scientiae; sed modus procedendi in sacra Scriptura est typicus et per modum narrationis, non inquisitionis: cum ergo liber iste pertineat ad sacram Scripturam, non debet procedere inquirendo.

5. Item, modus agendi debet esse conveniens materiae, de qua est; unde in principio veteris Ethicae[1] dicitur: ,,Sermones inquirendi sunt secundum materiam“; sed materia huius doctrinae est credibile; sed credibile est super rationem: ergo modus procedendi per rationes non convenit huic doctrinae.

6. Item, modus agendi debet esse conveniens fini, ad quem ordinatur scientia; sed haec scientia, ut dicit Magister in littera, ordinatur ad fidei promotionem; sed rationes fidem non promovent, sed evacuant; unde Gregorius[2]: ,,Fides non habet meritum, cui humana ratio praebet experimentum“: ergo talis modus contrariatur fini, ergo non est conveniens. Unde et Ambrosius[3]: ,,Tolle, inquit, argumenta, cum de fide agitur. Piscatoribus creditur, non dialecticis.“ Vanus ergo et inutilis videtur hic modus.

---

[1] Arist. *Eth. Nic.* l. II. c. 2. p. 1104a 3: Κατὰ τὴν ὕλην οἱ λόγοι ἀπαιτητέοι. De Ethica vetere cf. Ueberweg-Geyer p. 347.

[2] Homil. 26. In Evang. PL. LXXVI p. 1197 c.

[3] Liber I. de Fide c. 13. n. 84, ubi habetur: Aufer argumenta, ubi fides quaeritur . . . non creditur philosophis, creditur piscatoribus; non creditur dialecticis, creditur publicanis. PL. XVI p. 570 seq.

Sed contra:

1. Primae Petri tertio (v. 15): *Parati, omni poscenti reddere rationem de ea quae in vobis est fide et spe.* Cum ergo multi sint, qui fidem nostram impugnant, non tantum rationem de ea poscunt; utile et congruum videtur per rationes eam astruere et modo inquisitivo et ratiocinando procedere: ergo etc.

2. Item, Richardus de sancto Victore in libro de Trinitate[1]: „Crede sine dubio, ad quorumlibet explanationem, quae necesse est esse, non modo probabilia, sed etiam necessaria argumenta non deesse, licet contingat nostram industriam latere.“ Ergo cum fides nostra credat necessaria, et illa habeant rationes latentes, et talia indigeant perscrutatione, ut enodentur; patet quod modus perscrutatorius maxime convenit huic scientiae.

3. Item, non est peioris conditionis veritas fidei nostrae quam aliae veritates; sed in aliis veritatibus ita est, quod omnis, quae potest per rationem impugnari, potest et debet per rationem defendi: ergo pari ratione et veritas fidei nostrae.

4. Item, non est modo fides nostra peioris conditionis quam in principio; sed in principio, quando impugnabatur per falsa miracula magorum, defendebatur per vera sanctorum: ergo cum modo impugnetur per falsa argumenta haereticorum, debet defendi per vera argumenta doctorum.

## Conclusio.

Modus procedendi perscrutatorius sive ratiocinativus convenit huic doctrinae, cum valeat ad confundendum adversarios fidei, ad fovendum infirmos in fide, ad delectandum perfectos.

Respondeo: Dicendum, quod modus perscrutatorius convenit huic doctrinae sive libro. Cum enim finis imponat necessitatem his quae sunt ad finem; quia, sicut dicit Philosophus[2]: „Serra est dentata, quia est ad secandum“; sic iste liber, quia est ad promotionem fidei, habet modum inquisitivum. Modus enim ratiocinativus sive inquisitivus valet ad fidei promotionem, et hoc tripliciter secundum tria genera hominum. Quidam enim sunt fidei adversarii, quidam sunt in fide infirmi, quidam vero perfecti.

Modus inquisitivus valet primo ad confundendum adversarios. Unde Augustinus primo de Trinitate[3]: Adversus garrulos ratiocina-

---

[1] Liber I. c. 4. PL. CXCVI p. 892 b.

[2] Aristot., II. Phys., cap. 9, p. 200 b 6, ubi habetur: αὕτη δ' οὐκ ἔσται, εἰ μὴ ἕξει ὀδόντας τοιουσδί.

[3] Cap. 2, ubi dicitur: Istis garrulis ratiocinatoribus, elatioribus quam capacioribus atque ideo morbo periculosiore laborantibus, sic fortasse serviemus, ut inveniant aliquid, unde dubitare non possint. PL. XXXXII p. 822.

tores elatiores quam capaciores rationibus catholicis et similitudinibus congruis ad defensionem et assertionem fidei est utendum. Secundo valet ad fovendum infirmos. Sicut enim Deus caritatem infirmorum fovet per beneficia temporalia, sic fidem infirmorum fovet per argumenta probabilia. Si enim infirmi viderent, rationes ad fidei probabilitatem deficere et ad oppositum abundare, nullus persisteret. Tertio valet ad delectandum perfectos. Miro enim modo anima delectatur in intelligendo quod perfecta fide credit. Unde Bernardus[1]: „Nihil libentius intelligimus, quam quod iam fide credimus."

1. 2. 3. Quod ergo obiicitur in contrarium, dicendum, quod omnes illae auctoritates intelliguntur de perscrutatione curiosa, non de perscrutatione studiosa. Nam ipse Dominus dixit Iudaeis, Ioannis quinto (v. 39): *Scrutamini scripturas* etc.

4. Quod obiicitur, quod iste modus non competit sacrae Scripturae; dicendum ad hoc, quod liber iste ad sacram Scripturam reducitur per modum cuiusdam subalternationis, non partis principalis; similiter et libri doctorum, qui sunt ad fidei defensionem. Quod patet sic: quia non quaelibet determinatio trahens in partem facit subalternationem scientiae, sed determinatio quodam modo distrahens[2]. Nam scientia de linea recta non dicitur subalternari geometriae, sed scientia de linea visuali, quoniam haec determinatio quodam modo trahit ad alia principia. Quoniam igitur sacra Scriptura est de credibili ut credibili, hic est de credibili ut facto intelligibili, et haec determinatio distrahit – „nam quod credimus debemus auctoritati, et quod intelligimus, rationi[3]" – hinc est, quod sicut alius modus certitudinis est in scientia superiori et inferiori, ita alius modus certitudinis est in sacra Scriptura et alius in hoc libro, et ideo alius modus procedendi. Et sicut scientia subalternata, ubi deficit, redit ad certitudinem scientiae subalternantis, quae maior est; sic etiam, cum Magistro deficit certitudo rationis, recurrit ad auctoritatis certitudinem sacrae Scripturae, quae excedit omnem certitudinem rationis.

5. Quod tu obiicis, quod debet convenire materiae; dicendum, quod convenit. Et quod obiicitur, quod credibile est supra rationem; verum est, supra rationem quantum ad scientiam acquisitam, sed non supra rationem elevatam per fidem et per donum scientiae et intellectus. Fides enim elevat ad assentiendum; scientia et intellectus elevant ad ea quae credita sunt intelligendum.

---

[1] Lib. V. de consideratione, c. 3: Nil autem malumus scire, quam quae fide iam scimus. PL. CLXXXII. p. 791 A.

[2] Id est determinatio, quae rem ad alium conceptum vel ad alia principia specialia trahit.

[3] Augustinus, de Utilitate credendi c. 11. n. 25. PL. XLII. p. 83: Quod intelligimus igitur debemus rationi, quod credimus auctoritati.

6. Quod obiicitur, quod non convenit fini, quia evacuat meritum; dicendum, quod, quando assentitur propter se rationi, tunc aufertur locus fidei, quia in anima hominis dominatur violentia rationis. Sed quando fides non assentit propter rationem, sed propter amorem eius cui assentit, desiderat habere rationes; tunc non evacuat ratio humana meritum, sed auget solatium. Et primo modo intelligit Hieronymus, quod non sunt inducenda argumenta dialectica, quibus homo principaliter innitatur, quia innitendum est auctoritati principalius quam rationi.

**2. Textus:** Progressus theologiae. Breviloquium, Prologus (Ibidem tom. V. p. 201–202):

Progressus autem sacrae Scripturae non est coarctatus ad leges ratiocinationum, definitionum et divisionum iuxta morem aliarum scientiarum et non est coarctatus ad partem universitatis; sed potius, cum secundum lumen supernaturale procedat ad dandam homini viatori notitiam rerum sufficientem, secundum quod expedit ad salutem, partim per plana verba, partim per mystica describit totius universi continentiam quasi in quadam summa, in quo attenditur latitudo; describit decursum, in quo attenditur longitudo; describit excellentiam finaliter salvandorum, in quo attenditur sublimitas; describit miseriam damnandorum, in quo profunditas consistit non solum ipsius universi, verum etiam divini iudicii. – Et sic describit totum universum, quantum expedit de ipso habere notitiam ad salutem[1], secundum ipsius latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, habens etiam ipsa in suo progressu haec quatuor, secundum quod posterius declarabitur; quia sic exigebat conditio capacitatis humanae, quae magna et multa nata est magnifice et multipliciter capere, tanquam speculum quoddam nobilissimum, in quo nata est describi non solum naturaliter, verum etiam supernaturaliter rerum universitas mundanarum; ut sic progressus sacrae Scripturae attendatur secundum exigentiam capacitatis humanae.

[1] Obiectum fidei enim est obiectum salutiferum, quod fusius ostenditur III Sent. d. 23 a. 1 q. 1 ad 2.

# IV. FINIS THEOLOGIAE.

**1. Textus:** Prooemii quaestio 3 (tom. I. p. 12–13).

Utrum hic liber sive theologia sit contemplationis gratia, an ut boni fiamus, sive utrum sit scientia speculativa, an practica.

Tertio quaeritur de causa finali. Et cum dictum sit, quod liber iste est ad revelandum abscondita, quaeritur, utrum opus hoc sit contemplationis gratia, vel ut boni fiamus. Et quod sit, ut boni fiamus, videtur sic.

1. Omnis doctrina, quae est de his, sine quorum cognitione non contingit recte vivere, est, ut boni fiamus; sed iste liber est ad cognitionem verae fidei, sine qua *impossibile est placere Deo* nec recte vivere, ut dicitur ad Hebraeos undecimo (v. 6): ergo iste liber est, ut boni fiamus.

2. Item, omnis doctrina, quae convenit cum virtute in obiecto est, ut boni fiamus; haec per se manifesta est; sed haec doctrina convenit cum fide in obiecto, quia est de credibili, de quo etiam est fides sive in quo: ergo etc.

3. Item, doctrina particularis convenit cum totali in fine; sed finis totalis Scripturae sacrae non est tantum, ut fiamus boni, sed etiam ut fiamus beati; et beatitudo est optimum: ergo finis istius scientiae est, ut boni fiamus.

Contra:

1. Magister dicit in littera, quod finis sive intentio sua „est theologicarum inquisitionum abdita pandere“; sed hoc pertinet ad eum, cuius finis est speculatio: ergo etc.

2. Item, scientia, quae est, ut boni fiamus, pertinet ad mores; sed cum theologia sit de fide et moribus, liber autem iste de his quae spectant ad fidem, non de his quae spectant ad mores; ergo opus hoc non est, ut boni fiamus.

3. Item, omnis scientia, quae est, ut boni fiamus, est practica; sed omnis talis est de his quae sunt ab opere nostro; sed haec non est de his quae sunt ab opere nostro, sed a Deo: ergo est contemplationis gratia, non ut boni fiamus.

## Conclusio.

Scientia theologica est habitus affectivus et medius inter speculativum et practicum, et pro fine habet tum contemplationem, tum ut boni fiamus, et quidem principalius, ut boni fiamus.

Respondeo: Ad intelligentiam praedictorum notandum est, quod perfectibile a scientia est intellectus noster. Hunc autem contingit considerare tripliciter, scilicet in se, vel prout extenditur ad affectum, vel prout extenditur ad opus. Extenditur autem intellectus per modum dictantis et regulantis. Secundum hunc triplicem statum, quia errare potest, habet triplicem habitum directivum. Nam si consideremus intellectum in se, sic est proprie speculativus et perficitur ab habitu, qui est contemplationis gratia, qui dicitur scientia speculativa. Si autem consideremus ipsum ut natum extendi ad opus, sic perficitur ab habitu, qui est, ut boni fiamus; et hic est scientia practica sive moralis. Si autem medio modo consideretur ut natus extendi ad affectum, sic perficitur ab habitu medio inter pure speculativum et practicum, qui complectitur utrumque; et hic habitus dicitur sapientia, quae simul dicit cognitionem et affectum: *Sapientia enim doctrinae est secundum nomen eius*, Ecclesiastici sexto (v. 23). Unde hic est contemplationis gratia, et ut boni fiamus, principaliter tamen, ut boni fiamus.

Talis est cognitio tradita in hoc libro. Nam cognitio haec iuvat fidem, et fides sic est in intellectu, ut, quantum est de sui ratione, nata sit movere affectum. Et hoc patet. Nam haec cognitio, quod Christus pro nobis mortuus est, et consimiles, nisi sit homo peccator et durus, movet ad amorem; non sic ista: quod diameter est asymeter costae. Concedendum ergo, quod est, ut boni fiamus.

1. Quod obiicitur, quod est ad pandendum abscondita; dicendum, quod ibi non est status, quia illa revelatio ordinat ad affectum.

2. 3. Quod obiicitur, quod non est de moribus nec de his quae sunt ab opere nostro; iam patet responsio ad illud, quia ipse loquitur de illa quae proprie est, ut boni fiamus, ut de practica.

**2. Textus:** III Sent. d. 35 q. 1 (tom. III. p. 772–775).

Utrum actus doni sapientiae attendatur penes cognitionem veri, an penes affectionem boni.

Circa primum sic proceditur et quaeritur de actu et obiecto ipsius doni sapientiae, utrum videlicet actus ipsius doni attendatur penes cognitionem veri, an penes affectionem boni. Et quod actus eius attendatur in cognoscendo, videtur:

1. Primo per verbum Sapientis, Proverbiorum primo (v. 5): *Audiens sapiens sapientior erit*; sed auditus in nobis est via ad acquirendum habitum cognitionis: si ergo per auditum crescit in nobis sapientia, secundum quod dicitur in verbo proposito et in aliis pluribus eiusdem libri auctoritatibus; videtur, quod actus doni sapientiae sit cognitivus.

2. Item, hoc ipsum ostenditur per Augustinum in decimo quarto libro de Trinitate[1], ubi definiens sapientiam dicit, quod „sapientia est

[1] c. I n. 3 PL. XLII p. 1037.

rerum divinarum humanarumque cognitio“, approbans notificationem philosophorum in parte illa de ipsa sapientia: si ergo definit sapientiam recte et per actum proprium, videtur, quod actus ipsius doni sapientiae sit divina et humana cognoscere.

3. Item, Gregorius in Moralibus tractans illud Iob primo (v. 19): *Ventus vehemens* etc.; dicit, quod donum sapientiae datum est in remedium contra stultitiam: ergo defectus stultitiae et donum sapientiae directe opponuntur; „opposita autem nata sunt fieri circa idem“, secundum quod vult Philosophus[1]: cum ergo stultitia dicat defectum in actu cognoscendi, videtur, quod actus sapientiae-doni sit potentiae cognitivae.

4. Item, hoc videtur ratione, quoniam sapientia appropriatur Filio; sed cum in imagine creata sit aliqua reperire ex parte intellectus, et aliqua ex parte affectus; quae sunt affectionis appropriantur Spiritui Sancto, qui est amor, quae vero cognitionis appropriantur Filio: cum ergo sapientia ei approprietur, videtur etc.

5. Item, nullus amans aliquid, quantumcumque circa illud afficiatur, sapiens dicitur ex hoc, nisi illud cognoscat: ergo actus doni sapientiae maxime attenditur in faciendo cognoscere.

Sed contra hoc obiicitur:

1. Primo auctoritate Sapientis, Ecclesiastici sexto (v. 23): *Sapientia doctrinae secundum nomen suum est, et non in multis est manifesta*: si ergo sapientia a sapore dicitur, et sapor respicit affectionem interiorem; videtur, quod proprius actus doni sapientiae sit affectivus.

2. Item, Gregorius in Moralibus super primum Iob (v. 4) dicit, quod sapientia est donum „spe et certitudine aeternorum mentem reficiens“; sed refectio spectat ad gustum et affectum: ergo et praecipuus actus ipsius doni sapientiae est affectivus.

3. Item, Dionysius dicit in libro de Divinis Nominibus capitulo de sapientia: „Hanc igitur stultam et amentem sapientiam laudamus“ etc.; et alia littera: „hanc igitur irrationalem et dementem et stultam sapientiam excellenter laudantes dicimus“ etc. Si ergo loquitur ibi de sapientia, quae est donum Dei, sicut patet, et hanc dicit stultam et amentem; videtur, quod actus istius doni ex parte affectionis se teneat, et nullatenus ex parte rationis.

4. Item, Bernardus in libro de amore Dei, secundo capitulo dicit, quod „amor crescit in caritatem, caritas in sapientiam“: ergo cum caritas et amor et ipsius caritatis actus sint partis affectivae, videtur, quod et sapientiae actus sit affectivus, cum principalis actus non varietur ratione profectus.

5. Item, nec in dono sapientiae nec in eius actu est reperire excessum – nemo enim nimis est sapiens – sed in actu cognitionis circa divina contingit valde de facili excedere: videtur ergo, quod actus doni sapien-

[1] Arist., *Categ.* Boethius, *In Categ. Arist.* PL. LXIV p. 282 D.

tiae omnnio se teneat ex parte affectionis, et nullatenus ex parte cognitionis. – Si forte dicas, quod actus eius simul est ex parte cognitionis et affectionis; contra hoc est: quia maior est diversitas in habitibus, quam sit in potentiis; sed ratione illorum actuum, qui sunt cognoscere et affici, diversificantur potentiae animae, ita quod numquam sunt actus eiusdem potentiae: ergo pari ratione videtur, quod nunquam sint actus eiusdem habitus. Si tu dicas, quod non possunt esse actus eiusdem habitus principales; tunc quaeritur, quis sit eius actus principalis et praecipuus, utrum cognitivus, vel affectivus; et per primas rationes videtur, quod cognitivus, per secundas, quod affectivus: et ita redit eadem quaestio, quae prius.

## Conclusio.

Praecipuus actus doni sapientiae est ex parte affectivae, ita ut in cognitione inchoetur et in affectione consummetur.

Respondeo: Dicendum, quod sapientia quadrupliciter accipi consuevit tam a philosophis quam a sanctis, videlicet communiter et minus communiter et proprie et magis proprie. – Communiter accipiendo sapientiam, sic sapientia dicit cognitionem rerum generalem, secundum quod eam definit Augustinus et Philosophus, quod „sapientia est cognitio rerum divinarum et humanarum"; et Philosophus in Prima Philosophia dicit, quod „sapiens est qui omnia novit, secundum quod convenit"[1].

Alio modo dicitur sapientia minus communiter; et sic sapientia dicit cognitionem non quamcumque, sed cognitionem sublimam, videlicet cognitionem rerum aeternarum. Et sic accipit eam Apostolus primae ad Corinthios duodecimo (v. 8): *Alii datur per Spiritum sermo sapientiae, alii sermo scientae*; secundum quod exponit Augustinus dicens, quod „sapientia est cognitio aeternorum, scientia vero est cognitio creatorum"; et sic etiam dicit Philosophus, quod sapientia est „cognitio causarum altissimarum"[2].

Tertio modo accipitur sapientia proprie; et sic nominat cognitionem Dei secundum pietatem; et haec quidem cognitio est quae attenditur in cultu latriae, quem exhibemus Deo per fidem, spem et caritatem, secundum quem modum accipit Augustinus decimo quarto de Trinitate, exponens illud Iob: Ecce pietas ipsa est sapientia, dicens ibidem, quod pietas et sapientia idem est quod theosebia, et theosebia idem est quod cultus divinus, qui consistit in tribus virtutibus, secundum quod ipse dicit in principio Enchiridii ad Laurentium.

---

[1] Aristot. Vol. II. Metaph. lib. I. cap. 2. p. 982 a 8.

[2] Aristot. Vol. II. Metaph. lib. I. cap. 1. p. 982 a 2: ἡ σοφία περί τινας αἰτίας καὶ ἀρχάς ἐστιν ἐπιστήμη.

Quarto modo dicitur sapientia magis proprie, et sic nominat cognitionem Dei experimentalem; et hoc modo est unum de septem donis Spiritus sancti, cuius actus consistit in degustando divinam suavitatem. Et quoniam ad gustum interiorem, in quo est delectatio, necessario requiritur actus affectionis ad coniungendum et actus cognitionis ad apprehendendum, secundum illud Philosophi, qui dicit, quod ,,delectatio est coniunctio convenientis cum convenienti cum sensu eiusdem''; hinc est, quod actus doni sapientiae partim est cognitivus, et partim est affectivus: ita quod in cognitione inchoatur et in affectione consummatur, secundum quod ipse gustus vel saporatio est experimentalis boni et dulcis cognitio. Et ideo actus praecipuus doni sapientiae propriissime dictae est ex parte affectivae, ratione cuius dicit Ecclesiasticus, quod *sapientia secundum nomen suum est*; et Gregorius dicit, quod actus eius est reficere; et Dionysius dicit, quod istius sapientiae est amentem esse, propter hoc quod melius afficimur circa Deum praevia cognitione, quae est per ablationem et negationem, quam per affirmationem, sicut docet in libro de Mystica Theologia[1]. Ratione etiam istius eiusdem causae dicit Bernardus, caritatem in sapientiam proficere. – Et ex hac eadem causa contingit, quod sapientia non potest esse nimia, quia excessus in experimento divinae dulcedinis potius est laudabilis quam vituperabilis, secundum quod patet in viris sanctis et contemplativis, qui prae nimia dulcedine modo elevantur in ecstasim, modo sublevantur usque ad raptum, licet hoc contingat paucissimis. – Concendendum est igitur, quod actus doni sapientiae praecipuus est ex parte affectionis. Concedendae sunt etiam rationes hoc ostendentes.

1. Ad illud vero quod obiicitur in contrarium, quod sapientia crescit per auditum; dicendum, quod sapientia sumitur ibi communiter pro cognitione generali, quae quidem est rerum divinarum et humanarum, quae per studium et auditum suscipit incrementum; et ideo non habet hic locum.

2. Ad illud similiter quod obiicit de auctoritate Augustini, patet responsio, quia illo modo eam accipit Augustinus.

3. Ad illud vero quod obiicitur de auctoritate Gregorii, quod sapientia est contra stultitiam; dici potest, quod hoc dicit non quantum ad ultimum actum sapientiae, qui attenditur in affectione, sed quantum ad primum actum sive praevium, qui consistit in cognitione; donum enim sapientiae in se complectitur utrumque.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sapientia appropriatur Filio; dicendum, quod hoc est, in quantum dicit lumen cognitionis, non in quantum dicit saporem affectionis. Cum enim utrumque in se claudat, potest

---

[1] c. 2 seqq. PG. III p. 1027 seqq.

utrique personae appropriari, videlicet Filio et Spiritui sancto; et quoniam non appropriatur Filio soli, immo etiam personae Spiritus sancti: hinc est, quod ratio illa non cogit.

5. Ad illud quod ulterius obiicitur, quod nemo est sapiens ex hoc solum, quod amat, nisi etiam ulterius cognoscat; dicendum, quod illud est verum, attamen in amore Dei ipsi gustui coniuncta est cognitio. Optimus enim modus cognoscendi Deum est per experimentum dulcedinis; multo etiam excellentior et nobilior et delectabilior est quam per argumentum inquisitionis. Unde ex hoc non habetur, quod cognoscere sit actus ipsius doni sapientiae praecipuus, sed quod quodam modo concurrit ad eius actum praecipuum; et hoc quidem est verum, quia, sicut tactum est, sapientia in se claudit utrumque actum; unde quodam modo respicit intellectum, quodam modo respicit affectum.

Ad illud vero quod ultimo obiicitur, quod unus habitus non potest esse respectu istorum duorum actuum, cum penes illos diversificentur potentiae; dicendum, quod verum est, quod non possunt isti actus eiusdem habitus esse, ita quod uterque sit principalis; nihil tamen impedit, duos esse, ita quod unus sit primus, alter vero praecipuus; unus sit disponens, alter vero complens, sicut in praecedentibus habitum fuit de fide. – Unde eisdem rationibus et responsionibus quantum ad hoc potest quis negotiari circa donum sapientiae, quae supra explanatae fuerunt circa virtutem fidei; et ideo haec ad praesens sufficiant, quia non opportet, hic illas iterum replicari.

**3. Textus:** III Sent. d. 35 q. 2 (tom. III. p. 775–777).

Utrum actus praecipuus doni scientiae consistat in actione, vel in speculatione.

Secundo quaeritur de actu et obiecto doni scientiae, et est quaestio, utrum actus praecipuus doni scientiae consistat in actione, vel in consideratione. Et quod consistat in actione, videtur:

1. Primo auctoritate Augustini, duodecimo de Trinitate, quae habetur in littera[1]; distinguens enim inter sapientiam et scientiam, dicit, quod sapientia spectat ad contemplationem, et scientia ad actionem.

2. Item, secundum Philosophum, „scire quod est coniunctum operationi, parum aut nihil prodest ad virtutem“[2]: si ergo scientia, quae est Spiritus sancti donum, multum prodest ad meritum, videtur, quod actus eius circa agenda praecipue sit constitutus.

3. Item, *fides sine operibus mortua est* (Iac. 2, 20. 26), ergo pari ratione et scientia; sed ipsa scientia, quae est donum Spiritus sancti, non

---

[1] c. 19 n. 22. PL. XLII p. 1009.

[2] Cfr. Aristot. Vol. II. Ethica Nicomach. II. cap. 4. p. 1105 b 2.

est mortua, sed gratuita: ergo videtur, quod actus eius praecipuus consistat circa agenda.

4. Item, donum scientiae comparatur ad pietatem, sicut dirigens ad exsequens; sed pietatis, secundum quod dicit Gregorius in Moralibus[1], est opera misericordiae exhibere: ergo actus scientiae est circa talia opera dirigere: ergo actus eius consistit in agendis.

5. Item, actus doni scientiae, secundum quod dicit Magister in littera, „est conversari in medio nationis pravae et perversae"; sed bona conversatio respicit actiones exteriores: ergo actus doni scientiae circa agenda versatur praecipue.

Sed contra:

1. Augustinus decimo quarto de Trinitate[2]: „Huic scientiae tribuo non quidquid humanae curiositatis et vanitatis est, sed quo fides saluberrima gignitur, nutritur et roboratur": si ergo actus doni scientiae est ad generandum fidem, videtur, quod magis sit circa fidem quam circa mores.

2. Item, in eodem libro dicitur, et Magister dicit in littera, quod cognitio divinitatis in Christo spectat ad sapientiam, cognitio vero humanitatis in eodem spectat ad scientiam[3]; sed cognitio humanitatis Christi non est cognitio operativa, sed potius contemplativa: si ergo haec est doni scientiae, videtur etc.

3. Item, in agendis sufficienter dirigimur per virtutem prudentiae: aut ergo donum scientiae superfluit, aut eius actus praecipuus non ad hoc, sed ad aliud ordinatur.

4. Item, intelligentia Scripturae spectat ad donum scientiae, secundum quod Augustinus innuit in libro de Doctrina christiana[4], ubi ostendit, quod per pietatem et mititatem pervenitur ad intelligentiam sacrae Scripturae: si ergo huiusmodi intelligentia non consistit in actione, sed in speculatione; videtur, quod actus eius magis consistat in contemplatione quam in actione.

Item, iuxta hoc quaeritur: cum unius habitus unus sit actus, quomodo doni scientiae habent tam diversi actus assignari? Innuit enim Magister in littera[5], quod actus doni scientiae est fidem nutrire et defendere; et ulterius, quod eiusdem actus est conversari in medio nationis pravae et perversae; et postremo, quod actus eius est Christum cognoscere.

## Conclusio.

Doni scientiae praecipuus actus est dirigere circa actionem, sed ex consequenti etiam nosse ea, quae sunt fidei, et humanitatem Christi.

---

[1] Lib. I. c. 32 n. 44. PL. LXXV p. 547 B. [2] c. 1 n. 3. PL. XLII p. 1037. [3] c. 19 n. 24. [4] Lib. II. c. 7 n. 9. PL. XXXIV p. 39. [5] c. 1.

Respondeo: Ad praedictorum intelligentiam est notandum, quod scientiae quadruplex est differentia. Quaedam est, quae consistit in intellectu pure speculativo; et haec est fundata super principia rationis, et haec est scientia acquisita de quacumque creatura, sicut scientia humanae philosophiae. – Quaedam autem est, quae consistit in intellectu inclinato ab affectu; et haec est fundata super principia fidei, quae quidem sunt articuli, et nihilominus acquisita; et haec est scientia sacrae Scripturae, quam nullus habere potest, nisi saltem habeat fidem informem. – Quaedam autem est, quae consistit in intellectu sive ratione, in quantum inclinat affectum ad operationem; et haec fundata est super principia iuris naturalis, quae ordinatur ad rectitudinem et honestatem vitae; et huiusmodi est scientia prudentiae-virtutis. Quaedam autem scientia est, quae consistit in intellectu, secundum quod est inclinatus et inclinans: inclinatus, inquam, a fide, et inclinans ad bonam operationem; et haec fundatur super principia fidei et habet ortum a dono gratiae; et talis est scientia quae est donum Spiritus sancti.

Et ex hoc patet, quis sit actus proprius huius doni. Est enim actus eius dirigere ad agenda secundum praeexigentiam regulae ipsius fidei, cuius est dirigere ad opera misericordiae, ut non tantum bona pro bonis reddat, secundum quod dictat lex naturae, sed etiam bona pro malis, secundum quod dictat lex gratiae, ad exempla ipsius Iesu Christi, in quo fuit gratiae abundantia. Et ideo ad ipsam scientiam non solummodo pertinet dirigere in agendis; sed etiam ex consequenti pertinet nosse ea quae sunt fidei tamquam fundamentum suae directionis; et ulterius nosse humanitatem Christi tamquam exemplar sui regiminis; ita quod hic triplex actus convenit ei secundum triplicem respectum: unus videlicet respectu obiecti motivi, alter vero respectu sui fundamenti, et tertius est exemplaris excitativi. Et quia principalis actus accipitur ex parte obiecti; hinc est, quod praecipuus actus doni scientiae est dirigere circa actionem secundum quod dicit Augustinus, et ostendunt rationes ad hoc inductae; et ideo sunt concedendae.

1. Ad illud ergo quod primo obiicitur in contrarium, quod ipsius scientiae est fidem gignere et roborare; dicendum, quod iste non est actus eius principalis, sed ad principalem ordinatus ea ratione, qua directio doni scientiae in agendis sequitur et fundatur super principia ipsius fidei.

2. Ad illud quod obiicitur, quod ipsius doni scientiae est humanitatem et gratiam Christi nosse; iam patet responsio: quia nec hic est actus ipsius scientiae principalis, sed qui ad principalem habet ordinari; sicut cognitio exempli utilis est ad evidentiorem cognitionem rei, quae secundum exemplar illud debet fieri.

3. Ad illud quod obiicitur, quod per prudentiam sufficienter dirigitur homo in agendis; iam patet responsio: quia prudentia dirigit secundum

principia iuris naturalis ad ea quae honesta sunt; sed scientia-donum dirigit per principia fidei et iuris divini ad ea quae sunt sancta; unde et quodam modo altior est actus ipsius doni scientiae quam virtutis prudentiae, et super principia magis elevata fundari habet; et propter hoc, habita virtute prudentiae, non superfluit donum scientiae.

4. Ad illud quod obiicitur, quod intelligentia Scripturarum spectat ad donum scientiae; dicendum, quod sicut prius tactum fuit de cognitione eorum quae sunt fidei, quod non principaliter spectant ad donum ipsius scientiae, sed quodam modo antecedenter et quasi praesuppositive; sic etiam intelligendum est de intelligentia sacrae Scripturae.

Ad illud quod ultimo quaeritur de diversitate actuum, iam patet responsio per ea quae dicta sunt: quoniam unus est eius actus principalis, duo vero annexi; et simul cum hoc patet, quid sit objectum ipsius doni scientiae, et quomodo etiam differat a virtute prudentiae et ab habitu cuiuslibet alterius scientiae.

**4. Textus:** III Sent. d. 35 q. 3 (tom. III. p. 777–779).

Utrum donum intellectus simul consistat in contemplatione Creatoris et creaturae.

Tertio quaeritur de actu et obiecto ipsius doni intellectus, et est quaestio, utrum donum intellectus simul consistat in contemplatione Creatoris et creaturae.

1. Primo auctoritate Magistri in littera[1]: „Intelligentia vero non modo de aeternis est, sed etiam de rebus invisibilibus et spiritualibus temporaliter exortis.“

2. Item, hoc ipsum videtur per Dionysium ad Titum[2], qui dicit, quod „impossibile est, quamdiu in via sumus, relucere nobis divinum radium nisi circumvelatum“; si ergo illud est velamen creaturae, videtur, quod intellectus non possit Deum nisi in creatura cognoscere: ergo si est ad cognitionem creatoris, necesse est, quod sit simul ad cognitionem creaturae.

3. Item, non est perfectus habitus amoris, nisi ametur Deus et in se et in sua imagine: ergo similiter non erit perfectum donum intellectus, nisi Deus per illud cognoscatur et quantum ad conditiones suas et quantum ad conditiones creaturarum, quae sunt ei similes: ergo videtur, quod donum intellectus sit ad contemplanda temporalia et aeterna.

4. Item, de eisdem habet esse intellectus, de quibus habet esse fides, secundum quod dicit Gregorius[3], quod „Deus intellectum dat, dum de auditis mentem illustrat“; sed fides non tantummodo respicit divinam essentiam in se, verum etiam in comparatione ad creaturam: videtur ergo, quod actus doni intellectus ordinetur ad illa duo contemplanda.

---

[1] c. 2. [2] Ep. 9. PG. III p. 1103 seqq.
[3] Lib. I. Moral. c. 32 n. 44. PL. LXXV p. 547 A.

Sed contra:

1. Dono sapientiae cognoscuntur aeterna, dono scientiae cognoscuntur temporalia, sicut dicit Augustinus[1] et habetur in littera[2]: ergo aut donum intellectus superfluit, duobus donis habitis, aut circa illa duo actus eius praecipuus non consistit.

2. Item, sapientia et scientia differunt et sunt diversa dona per hoc, quod unum eorum est circa temporalia, aliud vero circa aeterna: ergo si donum intellectus est unum, videtur, quod non possit esse circa illa duo.

3. Item, aut donum intellectus consistit in cognoscendo tantum, aut in cognoscendo et afficiendo. Si consistit in cognoscendo tantum: ergo non videtur, quod sit donum gratuitum, cum actus pure cognitivus non sit meritorius. Si in cognoscendo et afficiendo; ergo doni intellectus est aeterna cognoscere et circa illa affici; sed iste est actus doni sapientiae: ergo aut donum intellectus non est circa aeterna aut si est, non differt ab ipsa sapientia.

4. Item, sicut contingit Deum cognoscere et contemplari in imagine, ita contingit Deum cognoscere et contemplari in eius vestigio: ergo sicut donum intellectus est ordinatum ad cognitionem ipsius creaturae spiritualis, ita ad cognitionem creaturae corporalis; sed non dirigit ad cognitionem corporalis creaturae: ergo pari ratione non videtur, donum intellectus ordinari ad cognitionem alicuius creaturae.

5. Item, dona, quae sibi invicem correspondent et ad se combinantur, ad idem et circa idem versantur; sed donum intellectus et sapientiae combinantur ad invicem: ergo cum donum sapientiae sit circa aeterna, et non circa creata; videtur, quod et donum intellectus.

6. Item, si simul est circa Creatorem et creaturam: ergo videtur, quod donum intellectus intelligat et cognoscat Deum per speculum: ergo non videtur differre a cognitione fidei.

## Conclusio.

Donum intellectus attenditur in contemplatione tum Creatoris tum spiritualis creaturae.

Respondeo: Dicendum, quod cognitio de Deo sub ratione veri potest haberi secundum triplicem modum: uno modo habetur cognitio de Deo per simplicem assensum; alio modo per rationis adminiculum; tertio modo per simplicem contuitum. Primum est virtutis fidei, cuius est assentire; secundum est doni intellectus, cuius est credita per rationem intelligere; tertium est beatitudinis munditiae cordis, cuius est Deum videre. Quoniam ergo rationes, secundum quas iuvamur ad credita intelligenda, accipiuntur non solum a conditionibus Creatoris,

---

[1] Lib. XIV de Trinit. c. 1 n. 3. PL. XLII p. 1037.

[2] c. 1 et 2.

sed etiam a conditionibus creaturae spiritualis, quae inter creaturas habet proximiorem assimilationem ad Creatorem; hinc est, quod donum intellectus – cuius actus est in contemplationem summi veri elevare per lumen, quod non solum facit assentire, sed etiam per congruas rationes credita intelligere – non solum attenditur in contemplatione creatricis essentiae, sed etiam spiritualis creaturae.

Et ex hoc patet, quis sit actus et obiectum proprium ipsius doni intellectus: quoniam obiectum eius est ipsum Verum aeternum, in quantum intelligibile, non solum secundum proprias conditiones, sed etiam secundum proprietates creaturarum sibi similium, secundum quod dicit Magister in littera[1]. Actus vero eius est contemplari ipsum verum creditum, ut devotius credatur et ardentius diligatur. Et ita donum intellectus consistit in contemplatione rationali Creatoris et spiritualis creaturae, sicut ostendunt rationes, quae ad istam partem sunt inductae.

1. Ad illud ergo quod primum obiicitur in contrarium, quod donum sapientiae ordinatur ad cognitionem Creatoris et donum scientiae ad cognitionem creaturae; dicendum, quod aliter et aliter sunt illa duo dona ad cognitionem illorum duorum quam donum intellectus: quia donum sapientiae est ad cognitionem aeternorum secundum rationes aeternas, secundum tamen quod illae aeternae rationes sunt via ad gustum et experimentalem cognitionem divinae suavitatis, ita quod cognitio illa gustui est annexa; donum vero intellectus negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas, quae sunt via ad cognitionem veritatis. Et hinc est, quod Bernardus[2] appropriat donum intellectus fidei, quae assentit summae Veritati propter se; donum vero sapientiae appropriat caritati, cuius est disponere ad gustandum Deum. – Per hunc etiam modum est differentias invenire inter intellectum et scientiam: quia scientia negotiatur circa creaturas secundum rationes creatas; unde negotiari habet non solum circa creaturas spirituales, quae habent rationem imaginis, sed etiam circa sensibiles et corporales, quae habent rationem vestigii. Donum vero intellectus, etsi negotiatur circa creaturas, hoc tamen est secundum rationes aeternas; et ideo solum est circa creaturas spirituales, in quibus rationes aeternae relucent magis expresse. – Et sic patet, quod quia alio et alio modo est intellectus circa Creatorem et creaturam quam sapientia et scientia; hinc est, quod illis habitis, non superfluit.

2. Ad illud quod obiicitur, quod donum sapientiae et scientiae distinguuntur, quia hoc est circa temporalia, et illud circa aeterna etc; iam patet responsio, quia non est simile. Sapientia enim negotiatur circa aeterna secundum rationes aeternas; scientia vero circa creata secundum rationes creatas; et quia habent diversa obiecta etiam secundum ra-

---

[1] c. 2.

[2] Serm. in Cant., sermo 8 n. 5. PL. CLXXXIII p. 812 B.

tionem movendi et dirigendi: hinc est, quod sunt dona diversa. Intellectus vero, sive circa creaturam sive circa Creatorem negotietur, semper refertur ad rationes aeternas, ad quas per creaturas etiam elevat contemplandas; et ideo unum solum donum est, quamvis illa sint plura. Et ex hoc colligi potest, quod donum intellectus est infra sapientiam et supra scientiam.

3. Ad illud quod obiicitur, quod donum intellectus aut est in simpliciter speculando, aut in speculando et afficiendo; dicendum, quod est cognitio experientiae, quae attenditur secundum gustum, et ista est doni sapientiae acquisitae; et est cognitio speculationis extensae, quae quodam modo via est ad gustum, sicut cognitio fidei ad delectationem caritatis; et haec est doni intellectus, quae quidem viam praebet ad usum doni sapientiae; quae ideo gratuita est, quoniam super assensum fidei fundatur et ulterius ordinat ad sapientiae gustum. Nihilominus tamen in ipso actu intellectus est quaedam delectatio, sed longe inferior quam in dono sapientiae. Delectatur enim quis in cognitione veritatis, sed non sic, sicut in gustu summae suavitatis.

4. Ad illud quod obiicitur, quod sicut contingit Deum cognoscere in imagine, sic et in vestigio; dicendum, quod non est omnimoda similitudo. In imagine enim, quia magis appropinquat, magis clare habet cognosci; in vestigio vero, quia multum distat, sub maiori obscuritate et aenigmate. Et quia ad donum intellectus spectat contemplatio clarior et excellentior, quam sit cognitio fidei; hinc est, quod ad donum illud non spectat cognoscere Deum in quacumque creatura, sed in ea, quae est eius imago et similitudo expressa, sicut dictum est supra.

5. Ad illud quod obiicitur, quod donum intellectus combinatur dono sapientiae; dicendum, quod quia donum sapientiae consistit in gustu, donum vero intellectus consistit in lumine rationis; et amplius ascendit affectio quam ratio, et unio quam cognitio, secundum quod vult Dionysius[1]: hinc est, quod donum sapientiae in actu suo non sic indiget adminiculo creaturae, secundum quod donum intellectus. Et ideo donum sapientiae in actu suo versatur solum circa aeterna, donum vero intellectus non solum circa aeterna, sed etiam circa creata. Cum ergo dicit, quod dona, quae ad invicem combinantur, debent habere idem obiectum; hoc verum est de obiecto principali, non autem de eo quod habet rationem adminiculantis.

6. Ad illud quod obiicitur, quod intellectus videt per speculum, sicut et fides; dicendum, quod in visione per speculum sunt multi gradus secundum maiorem et minorem depurationem ab obscuritate aenigmatis; et secundum hoc alio et alio modo habet illuminari et habilitari. Unde fides habilitat ad assentiendum Deo in articulis, quos, etsi non videat

---

[1] De divinis nominibus, c. de sapientia § 1. PG. III p. 865 seqq.

in se, tamen videt in creatura, cognoscendo, „quid est quod per nomen dicitur"; numquam enim cognoscit aliquis credens, quid sit Trinitas, nisi quia videt, quid sit ternarius in creatura. Sed ulterius donum intellectus illuminat ad intelligendum non solum, „quid est quod per nomen dicitur", sed etiam ad videndum rationem, quod Trinitas debeat in Deo esse, per hoc quod videt in ipsa imagine egressum verbi a mente per viam generationis, et amoris ab utroque per viam connexionis. Ex his patet, quod etsi fides et intellectus sint per speculum, tamen in modo speculandi differunt, et ideo sunt diversi habitus; patet etiam similiter cum hoc, quis sit actus doni intellectus, et quod obiectum, et quae differentia ipsius respectu aliorum habituum.

**5. Textus:** Status seu fructus theologiae: Breviloquium, Prologus (tom. V. p. 202):

Status vero sive fructus sacrae Scripturae non est quicumque, sed plenitudo aeternae felicitatis. Nam haec est Scriptura, in qua *verba sunt vitae aeternae* (Io. 6, 69), quae ideo scripta est, non solum ut credamus, verum etiam ut vitam possideamus aeternam, in qua quidem videbimus, amabimus, et universaliter nostra desideria implebuntur: quibus impletis, vere tunc sciemus *supereminentem scientiae caritatem*, et ita impleti erimus *in omnem plenitudinem Dei*. Ad quam quidem plenitudinem conatur nos divina introducere Scriptura, iuxta praedictae sententiae apostolicae veritatem. Hoc igitur fine, hac intentione sacra Scriptura perscrutanda est et docenda et etiam audienda.

Et ut ad istum fructum et terminum recto perveniamus progressu per viam recti itineris Scripturarum, inchoandum est ab exordio, hoc est, ut cum mera fide ad *Patrem luminum* accedamus, flectendo genua cordis nostri, ut ipse per Filium suum in Spiritu sancto det nobis veram notitiam Iesu Christi et cum notitia amorem eius, ut sic ipsum cognoscentes et amantes, et tanquam *in fide solidati et in caritate radicati*, possimus ipsius sacrae Scripturae noscere latitudinem, longitudinem, altitudinem et profundum, et per hanc notitiam pervenire ad plenissimam notitiam et excessivum amorem beatissimae Trinitatis, quo Sanctorum desideria tendunt, in quo est status et complementum omnis veri et boni[1].

---

[1] Vide etiam III Sent. d. 23 a. 1 q. 1 ad 2 in fine, ubi Bonaventura dicit: ‚Unde et veritas, in quam est fides, est veritas secundum pietatem (Tit. 1, 1)', et Breviloquium p. I c. II, ubi ex hac sententia concludit: ‚Huic autem fidei, in quantum dictat, de Deo piissime sentiendum esse, attestatur tota sacra Scriptura, quae dicitur doctrina secundum pietatem.' Cfr. in hoc libro etiam p. 27, ubi scientia theologica definitur: veritatis credibilis notitia pia.

# V. THEOLOGIA UNA SCIENTIA.

**1. Textus:** Breviloquium, Prologus (tom. V. p. 208):

Quia vero theologia sermo est de Deo et de primo principio, utpote quia ipsa tanquam scientia et doctrina altissima omnia resolvit in Deum tanquam in principium primum et summum: ideo in assignatione rationum in omnibus, quae in hoc toto opusculo vel tractatulo continentur, conatus sum rationem sumere a primo principio, ut sic ostenderem, veritatem sacrae Scripturae esse a Deo, de Deo, *secundum* Deum et *propter* Deum, ut merito ita scientia appareat *una* esse et *ordinata* et *theologia* non immerito nuncupata[1].

**2. Textus:** Breviloquium, p. I. c. 1. (tom. V. p. 210):

In principio intelligendum est, quod sacra doctrina, videlicet theologia, quae principaliter agit de primo principio, scilicet de Deo trino et uno, de septem agit in universo, scilicet primo, de Trinitate Dei; secundo, de creatura mundi; tertio, de corruptela peccati; quarto, de incarnatione Verbi; quinto, de gratia Spiritus sancti; sexto, de medicina sacramentali; et septimo, de statu finalis iudicii.

Ratio autem huius veritatis haec est: quia cum sacra Scriptura sive theologia sit scientia dans sufficientem notitiam de primo principio secundum statum viae, secundum quod est necessarium ad salutem; et Deus non tantum sit rerum principium et exemplar *effectivum* in creatione, sed etiam *refectivum* in redemptione et *perfectivum* in retributione; ideo non tantum agit de Deo *creatore*, sed etiam de *creatione* et *creatura*. Et quia creatura rationalis, quae est quodam modo finis omnium, non stetit, sed suo casu indiguit reparari; ideo agit de *corruptela peccati*, *medico*, *sanitate* et *medicina* et tandem de *curatione perfecta*, quae erit in gloria, impiis proiectis in poenam.

Et ideo ipsa sola est *scientia perfecta*, quia incipit a *primo*, quod est primum principium, et pervenit ad *ultimum*, quod est praemium aeternum; incipit a *summo*, quod est altissimus Deus, et pervenit ad *infimum*, quod est infernale supplicium.

Ipsa etiam sola est *sapientia perfecta*, quae incipit a causa summa, ut est principium causatorum, ubi terminatur cognitio philosophica; et transit per eam, ut est *remedium* peccatorum; et reducit in eam, ut est *praemium* meritorum et finis desideriorum. Et in hac cognitione est

[1] Vide etiam in hoc libro p. 3 seq.

sapor perfectus, vita et salus animarum; et ideo ad eam addiscendam inflammari debet desiderium omnium Christianorum.

Ex his patet, quod licet theologia sit de tot et tam variis, et tamen scientia una, cuius subiectum, ut a quo omnia, est Deus; ut per quod omnia, Christus; ut ad quod omnia, opus reparationis; ut circa quod omnia, unicum caritatis vinculum, quo caelestia et terrestria connectuntur; ut de quo omnia in libris canonicis comprehensa, credibile ut credibile; ut de quo omnia in libris expositorum, credibile ut intelligibile, secundum Augustinum, De Utilitate credendi (c. 11, n. 25, PL. XLII p. 83), quia „quod credimus, debemus auctoritati, quod intelligimus, rationi".

# VI. DE RELATIONE PHILOSOPHIAE AD THEOLOGIAM.

**1. Textus:** Breviloquium, Prologus (tom. V. p. 205):

Nam cum res habeant esse in materia, habeant esse in anima per notitiam acquisitam, habeant etiam esse in ea per gratiam, habeant esse in ea per gloriam et habeant esse in arte aeterna; philosophia quidem agit de rebus, ut sint in natura seu in anima secundum notitiam naturaliter insitam, vel etiam acquisitam; sed theologia, tanquam scientia super fidem fundata et per Spiritum sanctum revelata, agit et de eis quae spectant ad gratiam et gloriam et etiam ad Sapientiam aeternam. Unde ipsa, substernens sibi philosophicam cognitionem et assumens de naturis rerum, quantum sibi opus est ad fabricandum speculum, per quod fiat repraesentatio divinorum; quasi scalam erigit, quae in sui infimo tangit terram, sed in suo cacumine tangit caelum; et hoc totum per illum unum hierarcham, Iesum Christum, qui non tantum ratione naturae humanae assumtae est hierarcha in ecclesiastica hierarchia, verum etiam in angelica, et media persona in illa supercaelesti hierarchia beatissimae Trinitatis; ita quod per ipsum a summo capite Deo descendit unctionis gratia non solum *in barbam*, verum etiam *in oram vestimenti* (Ps. 132, 2), quia non tantum in Ierusalem supernam, verum etiam usque in Ecclesiam militantem.

Est enim pulcritudo magna in machina mundana, sed longe maior in Ecclesia pulcritudine sanctorum charismatum adornata, maxima autem in Ierusalem superna, supermaxima autem in illa Trinitate summa et beatissima. Ideo ipsa Scriptura non tantum habet altissimam materiam, per quam delectat et per quam in altum levat intelligentiam mentis, verum etiam ipsa est venustissima et miro quodam modo intellectum nostrum delectat, et sic magis ac magis delectando assuefacit ad divinorum spectaculorum contuitus et anagogias.

**2. Textus:** De donis Spiritus sancti, collatio IV, n. 3 seqq. (tom. V p. 474 seqq.):

3. Hic notandum est, quod est claritas scientiae philosophicae, scientiae theologicae, scientiae gratuitae, et claritas scientiae gloriosae. Claritas scientiae philosophicae est magna secundum opinionem hominum mundialium, parva tamen in comparatione ad claritatem scientiae christianae. Claritas vero scientiae theologicae parva videtur secundum opinionem hominum mundialium, sed secundum

veritatem magna est. Claritas scientiae gratuitae est maior, sed claritas scientiae gloriosae est maxima; ibi est status. Psalmus (138, 6): *Mirabilis facta est scientia tua ex me, confortata est, et non potero ad eam*, scilicet in hac vita.

4. Omnes istae scientiae et claritates earum divinitus dantur, quamquam semper in donatione ipsarum sit maius donum. Verum est, quod scientia philosophica et theologica est donum Dei; proprie vero est donum Dei scientia gratuita; scientia vero gloriosa non tantum est donum, sed etiam praemium. In Cantico autem Annae dicitur in libro Regum (I 2, 3): *Recedant vetera de ore vestro, quia Deus scientiarum Dominus est, et ipsi praeparantur cogitationes*; non stultae cogitationes, quae dissipantur per vias errorum, sed bonae cogitationes praeparantur Domino per vias veritatis. Iob (37, 16): *Nunquid nosti semitas nubium, semitas magnas et perfectas scientias*? Dicit semitas magnas, id est scientiam philosophicam et theologicam, quae dicuntur magnae semitae, quia multas scientias comprehendunt; semitas perfectas dicit quantum ad scientiam gratuitam et gloriosam. Semitae nubium sunt virorum perfectorum scientiae, quia, sicut nubes abstrahuntur virtute caloris in album, ita viri perfecti in abstractione mentis sublimantur. – De istis quatuor scientiis volumus dicere, ut ad tertiam possimus pervenire, de qua loquimus hic.

5. Scientia philosophica nihil aliud est quam veritatis ut scrutabilis notitia certa. Scientia theologica est veritatis ut credibilis notitia pia. Scientia gratuita est veritatis ut diligibilis notitia sancta. Scientia gloriosa est veritatis ut desiderabilis notitia sempiterna.

6. Primo incipiamus a scientia philosophica. Dico, quod scientia philosophica est veritatis ut scrutabilis notitia certa. De hac scientia dicitur in Proverbiis (22, 20. 21): *Ecce, descripsi eam tripliciter in cogitationibus et scientia, ut ostenderem tibi firmitatem et eloquia veritatis*. Potest illud verbum esse Salomonis et verbum Dei. Dico, quod potest esse verbum Dei. Ipse enim describit scientiam philosophicam tripliciter, id est secundum triplicem rationem describit eam, ut naturalem, ut rationalem et ut moralem, scilicet in quantum est „causa essendi, ratio intelligendi et ordo vivendi". In quantum est causa essendi, designat scientiam naturalem; in quantum est ratio intelligendi, significat scientiam rationalem; in quantum est ordo vivendi, describit scientiam moralem.

7. Nec tantum est verbum illud Dei, immo est etiam Salomonis, qui disputavit a cedro Libani usque ad hyssopum (III Reg. 4, 33). Ipse dicit: *Ecce, descripsi eam tripliciter, ut ostenderem tibi firmitatem*, id est solidam et firmam veritatem, et eloquia veritatis; ipse describit eam tripliciter, scilicet in quantum est veritas rerum, veritas sermonum

et veritas morum, secundum quod est indivisio entis ab esse, et indivisio entis ad esse, et entis a fine. Veritas rerum est indivisio entis ab esse; veritas sermonum est indivisio entis ad esse; veritas morum est indivisio entis a fine. – Veritas morum est rectitudo, secundum quam homo bene vivit intus et extra secundum dictamen iuris, quia ius est regula rectitudinis; veritas sermonum est adaequatio vocis et intellectus; veritas rerum est „adaequatio intellectus et rei". Et quia scientia philosophica eloquia veritatis docet; et triplex est veritas: ideo dicit, quod descripsit eam tripliciter.

8. Non creditis, quod Salomon istam triplicem notitiam acquisierit? – De scientia sermocinandi dicit, quod eam habuit. Unde in libro Sapientiae dicit (9, 4. 12): *Da mihi, Domine, sedium tuarum assistricem sapientiam, ut dignus sim sedium patris mei.* Ibi scriptum est (7, 15. 16): *Mihi autem dedit Deus dicere ex sententia et praesumere digna horum quae mihi dantur. In manu eius sumus nos et sermones nostri.* Impossibile est, quod sapientia fiat doctrina nisi per sermonem. Sermo autem non est sufficiens ad docendum, nisi sit sententiosus. Et non loquitur homo sententiose nisi sermo eius sit discussivus, inquisitivus et persuasivus, scilicet quod habeat sermonem potentem ad loquendum omne illud, quod potest apprehendi vel nosci, vel ad quod affectus potest inclinari. Congrue autem exprimit per grammaticam, rationabiliter investigat per scientiam logicam et efficaciter persuadet per rhetoricam. Ista igitur est pars philosophiae, scilicet scientia sermocinalis, quae triplex est, ut patet, quam adeptus est Salomon.

9. Alteram partem philosophiae, scilicet quae est in veritate rerum, dicit se Salomon adeptum esse. Unde dicit in libro Sapientiae (7, 17): *Mihi dedit Deus eorum quae sunt scientiam veram, ut sciam dispositionem orbis terrarum et virtutes elementorum.* Certum est, quod notitia veritatis rerum triformis est secundum quod sunt formae concretae, formae abstractae, et formae separatae. Formas concretas considerat physicus, formas abstractas metaphysicus, et formas separatas mathematicus. Unde dicit: *Mihi dedit Deus scientiam eorum quae sunt,* id est entium principaliter, quae vere entia, quantum ad scientiam metaphysicam; ut sciam dispositionem orbis terrarum, quantum ad mathematicam; et virtutes elementorum, quantum ad naturalem philosophiam. Salomon scivit anni cursum ex dispositione stellarum, naturas animalium et virtutes radicum; omnia docuit Salomon (Sap. 7, 18 seqq.).

10. De tertia parte philosophiae, scilicet de morali, dicit etiam Salomon, quod eam est adeptus. Unde in Ecclesiaste (7, 26): *Lustravi universa animo meo, ut scirem et considerarem et quaererem sapientiam et rationem, et ut cognoscerem impietatem stulti et errorem imprudentium.* Multa dicit se considerasse et omnia ordinasse ad mores. – Carissimi!

impietas stulti est in male sentiendo de causa causarum; error imprudentium est circa regimen vitae monasticae, vel vitae oeconomicae, vel politicae, id est circa regimen sui, vel familiae, vel civitatis. Magna prudentia requiritur ad regimen sui, maior ad regimen familiae, sed maxima circa regimen civitatis. Impossibile est, quod sol illuminet remota corpora a se et non illuminet propinqua sibi. Non potest aliquis habere ordinatam familiam, nisi ipse sit ordinatus. Si velit aliquis habere servientes castos; et ipse non erit castus, hoc non potest esse. Similiter nisi homo bene regat familiam suam, non poterit regere bene civitatem, quia qualis *princeps civitatis, tales et habitantes in ea* (Eccli 10, 2).

11. Ostendit igitur Salomon, se pervenisse ad triformem descriptionem scientiae philosophicae, scilicet ad descriptionem scientiae rationalis, moralis et naturalis et ad triformem descriptionem quarumlibet istarum. – Qui haberet descriptionem istarum scientiarum secundum veritatem, maximum speculum haberet ad cognoscendem, quia nihil est in aliqua istarum scientiarum, quod non importet vestigium Trinitatis. Illud esset facile ostendere, sed longum esset.

12. Prima claritas, scilicet scientiae philosophicae, magna est secundum opinionem hominum mundialium; sed de facili eclipsatur, nisi homo caveat sibi a capite et cauda draconis. Si aliquid interponatur inter ipsum et solem iustitiae, patitur eclipsim stultitiae. Ieremias (10, 14): *Stultus factus est omnis homo a scientia sua*, scilicet occasionaliter, non causaliter. Qui confidit in scientia philosophica et appretiatur se propter hoc et credit, se esse meliorem, stultus factus est, scilicet quando per istam scientiam sine ulteriori lumine credit, se apprehendere Creatorem; sicut si homo per candelas vellet videre caelum vel corpus solare. – Certum est, quod rationalis philosophia in rhetorica consummatur; cum sit triplex genus deliberativae, scilicet quando homo deliberat de utilitate, de securitate et de honestate, et eius opposito, scilicet de damno, de periculo et de peccato sive de inhonestate. Non potest homo scire, quid utile, quid damnosum, nisi ex additione ultra istam scientiam. Dicitur in Evangelio (Mt. 16, 26): *Quid prodest homini, si mundum universum lucretur, animae vero suae detrimentum patiatur*? Quid valet, quod homo multa sciat, si vera honestas animae relinquatur? – Certum est etiam, quod secundum scientiam moralem non potest homo scire, quid utile, quid damnosum, nisi ex additione ultra scientiam moralem, secundum quod scientia moralis est ritus colendi, norma vivendi et censura iudicandi. Quis potest scire ritum colendi per philosophiam naturalem? – Esto, quod homo habeat scientiam naturalem et metaphysicam, quae se extendit ad substantias summas, et ibi deveniat homo, ut ibi quiescat; hoc est impossibile quin cadat in errorem, nisi sit adiutus lumine fidei, scilicet ut credat homo Deum trinum et unum, potentissimum et optimum

secundum ultimam influentiam bonitatis. Si aliter credas, insanis circa Deum; quod proprium est Dei attribuis alteri, blasphemas et idololatra es, sicut si homo simplicitatem Dei vel huius modi attribuat alteri. – Igitur ista scientia praecipitavit et obscuravit philosophos, quia non habuerunt lumen fidei. Unde Apostolus (Rom. 1, 21. 22): *Qui cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum; dicentes se sapientes stulti facti sunt.* Et in libro Sapientiae (13, 9): *Si enim tantum potuerunt scire, ut possent aestimare saeculum, quomodo huius Dominum non facilius invenerunt.* Philosophica scientia via est ad alias scientias; sed qui ibi vult stare, cadit in tenebras.

13. Ultra scientiam philosophicam dedit nobis Deus scientiam theologicam, quae est veritatis credibilis notitia pia: quia lux aeterna, scilicet Deus, est lux inaccessibilis nobis, quamdiu sumus mortales et habemus oculos vespertilionis. Unde Augustinus: „Acies mentis invalida in tam excellenti lumine non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur.“ Ideo super fidem fundata est scientia theologica: sicut scientiae philosophicae super prima principia sua fundantur, ita scientia Scripturae fundatur super articulos fidei, qui sunt duodecim fundamenta civitatis. De ista scientia dicitur in Isaia (11, 9): *Non nocebunt et non occident in universo monte sancto meo*; sequitur: *quia repleta est terra scientia Domini et velut aquae maris operientes eam.* Comparatur sacra Scriptura aquae maris propter profunditatem mysteriorum, propter multiformitatem sensuum et propter stabilitionem Ecclesiarum.

# VII. DISPOSITIO AD STUDIUM THEOLOGIAE.

**1. Textus:** In Hexaemeron, collatio XIX (tom. V. p. 420 seqq.)[1]:

3. ... Non est ... securus transitus a scientia ad sapientiam; oportet ergo medium ponere, scilicet sanctitatem. Transitus autem est exercitium: exercitatio a studio scientiae ad studium sanctitatis, et a studio sanctitatis ad studium sapientiae ...

20. Qui autem vult proficere in hoc studio, oportet, quod habeat sanctitatem et possit studere ad vitam timoratam, inpollutam, religiosam, aedificatoriam. Haec est vita Sanctorum timorata, ut in his quae agit, semper timeat, sive vadens ad Missam, sive ad mensam, sive stans, sive ambulans, quia in omnibus potest esse peccatum; Iob (9, 28): *Verebar omnia opera mea, sciens, quod non parceres delinquenti.* Optimum signum est timor, et pessimum signum est audacia, quia talis nunquam corrigitur.

21. Secundo, vita impolluta, quod totum faciat propter amorem Dei, non propter amorem alicuius rei, quia omnis amor suspectus est nisi Dei. Unde dicit Augustinus[2], et beatus Bernardus in quadam epistola[3] ad quendam monachum, quod dilectio Apostolorum ad carnem Christi impediebat adventum Spiritus sancti. Quid de alio amore creaturarum? Psalmus (76, 3): *Renuit consolari anima mea* etc. *Custodi me, Domine, ut pupillam oculi* (Ps. 16, 8). Pupilla non bene custoditur munda, quando est vapor, vel pulvis, vel humor in ea.

22. Tertio, quod sit vita religiosa, clausa sicut maceria vineae; sic oportet quod homo faciat sibi restrictionem gustus, linguae et sensuum ceterorum: quia, *si quis putat, se religiosum esse, non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum huius vana est religio* (Iac. 1, 21). Sepi aures tuas spinis. Vita nostra non debet esse data loquelis, sed lacrymis.

23. Quarto, quod sit vita aedificatoria proximi et remoti, ut sit paratus omnes aedificare et doleat, si quis ex ipso scandalizatur; et debet cavere damna alterius; quia, si ego solus bene comederem, et alii ieiunarent, male factum esset ...

---

[1] Collationes in Hexaemeron sunt praelectiones, quas S. Bonaventura Parisiis 1273 a Pascha usque ad Pentecosten praesentibus aliquibus magistris et baccalaureis theologiae et aliis fratribus centum sexaginta habuit. Haec quae de istis praelectionibus supersunt auditor aliquis notavit veloci manu et postea ex memoria complevit. Unde factum est, ut saepius tantum loca auctoritatum aliquarum assignet. Attestatur tamen, se nihil aliud apposuisse quam quod S. Doctor dixerat, quamvis saepius insufficienter. Conf. In Hexaemeron Collationes in fine: Addimentum. tom. V. p. 449.

[2] In Joan. Ev. tract. 94 n. 4. PL. XXXV p. 1869.

[3] Ep. 420. PL. CLXXXII p. 626.

24. Item sequitur ex his praedictis, scilicet scientia et sanctitate, fructus sapientiae vel studium, quod consistit in quatuor, quae sunt necessaria, scilicet recognitio internorum propriorum defectuum. Unde in fronte Apollinis scriptum erat: „Recognosce te ipsum"; sine hoc impossibile est venire ad sapientiam. Unde quanto sapiens plus proficit, tanto plus se despicit. Unde malus mercator est qui se ipsum decipit; quod facit qui se appretiatur plus quam valet; sed debet alios appretiari et se despicere; et hoc est principalissimum studium sapientiae, ut sibi ipsi persuadeat homo suos defectus et fiat humilis in oculis suis.

25. Secundum studium sapientiae est castigatio passionum, quae sunt septem affectiones animae, quatuor principales et tres annexae: timor, dolor, spes, gaudium; desiderium, verecundia, odium. Etiam in omnibus his contingit excedere. Puer autem quando nimis clamat, compescitur; sic homo censura quadam iudiciali debet domare et restringere huiusmodi passiones, ut, quando venit dolor, dicatur sibi: sta in pace, et sic de aliis; et praescinde istas puerilitates et pueriles affectiones. Pueri enim insecutores sunt passionum; *maledictus puer centum annorum* (Is. 65, 20).

26. Tertium studium sapientiae est ordinatio cogitationum; unde: *Stultus per fenestram prospicit in domum proximi* (Eccli 21, 26). Et hic est magna difficultas ordinare phantasmata nostra, ut, quando sumus in Ecclesia, nil cogitemus de officio, et sic de aliis; et necessario oportet ordinare has cogitationes ad hoc, quod Spiritus sanctus intret per sapientiam, quia *Spiritus sanctus disciplinae effugiet fictum et auferet se a cogitationibus, quae sunt sine intellectu* (Sap. 1, 5). Et ideo oportet habere certas materias, circa quas nos exerceamus.

27. Quartum studium sapientiae est desiderii sursumactio; hoc facit alia studia valere, ut posteriora *obliti extendamus nos ad ea quae sunt priora* (Phil. 3, 13). *Sapientis oculi in capite eius* (Eccle 2, 14). *Cor sapientis in dextera eius* (Eccle 10, 2). Hoc est sapientis studium, ut non declinet studium nostrum nisi ad Deum, qui est totus desiderabilis. – Haec quatuor sunt difficilia, nisi habeantur prima studia, et cum his sunt facilia. Unde facile est tunc habere dominium super passiones, ut dicitur de quodam philosopho, qui dixit servo suo: „Quantum te affligerem, si non essem iratus."

**2. Textus:** De reductione artium ad theologiam (tom. V. n. 26 p. 325):

Et hic est fructus omnium scientiarum, ut in omnibus aedificetur fides, honorificetur Deus, componantur mores, hauriantur consolationes, quae sunt in unione sponsi et sponsae, quae quidem fit per caritatem, ad quam terminatur tota intentio sacrae Scripturae, et per consequens omnis illuminatio desursum descendens, et sine qua omnis cognitio vana est, quia nunquam pervenitur ad Filium nisi per Spiritum sanctum, qui docet nos omnem veritatem.

DATE DUE

| | |
|---|---|
| MAR - 6 1997 | |
| FEB 9 1997 | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |
| | |

GAYLORD PRINTED IN U.S.A.

GTU Library
2400 Ridge Road
Berkeley, CA 94709
For renewals call (510) 649-2500
All items are subject to recall.

BR
63
F4
v.30

41608

GRADUATE THEOLOGICAL UNION LIBRARY
BERKELEY, CA 94709

GTU Library
BR63 .F4 v.30
G
Bonaventura/Doctoris seraphici s. Bonave
3 2400 00036 3949